






100
100
100







Μικροκόσμος
PARVVS MVNDVS



FRANCOVRTI.
Apud Iacobū de Zetter
Anno. 1618.

Expositio tituli huius libelli.

Homo recte **MICROCOSMVS**, hoc est, paruus mundus appellatur, propter eam quam cum mundo habet similitudinem. Nam quemadmodum mundus rotundus est, duo habens Lumina, stellas, calorem & frigus, & quatuor elementis regitur: sic etiam caput humanum rotundum est, habetq; duos oculos, capillos fulgentes: ceteraq; quæ de mundo, apte etiam de homine vereq; dicuntur. Quod autem ut in mundo, sic & in homine aër sit, apparet in **CHAMAELEONTE**, solo aëre viuente, per quem natura cholericæ significatur. Quod vero & ignis ut in mundo ita etiam in homine reperiatur, testis est **SALAMANDRA** solum igne viuens: per quam natura denotatur sanguinea. Aquam quoque, sicuti in mundo ita etiam in corpore humano esse testatur **STVRIO** aqua & vento tantum victitans, per quem natura intelligitur phlegmatica, in homine autem aquæ locum obrinet vrina. Quod denique & terra sit patet in **TALPIS**, qua terrestribus lumbricis deficientibus, terra viuere creduntur: per quas melancholica significatur. Item, veluti in mundo omnes sunt creatura, ita homo omnis est creatura. Creaturarum autem alia solam formam habent, ut lapides: qua etiam homo præditus est: alia & formam habent, & crescunt, ut arbores: sic & homo: alia præter formam crescunt & sentiunt, ut animantia: quorum alia rursus volatilia sunt, alia vero in aquis degentia, sic & hominente animoq; sursum volat, & in aquis natære nouit. In mundo sunt cælestes creatura, forma & alta quadam mente prædita, nempe Angeli, ita etiam homo, qui fide intelligit quid sit Deus. Mundus habet Gubernatorem inuisibilem & immortalem, homo quoque inuisibilem ac immortalem animam, tribus potentiis decoratam, voluntate, memoria, & intellectu, quibus ratio veluti rector dominatur. Intellectus autem iudicat animi conceptum, quem Ratio quasi iudex docet in memoria cubiculo esse custodiendum. Accedentibus itaque ad prædictas potentias quinque sensibus interioribus, totidemq; exterioribus, simul efficiunt sapientiam, ex qua scientia nascitur, ex hac inuentio, ex qua rursus multa sententia aurea profluunt: ut ex huius libelli discursu clarum euadet. Rursus, quemadmodum mundus non periturus igne purgabitur: & transmutabitur, atq; Crystalli instar clarescit: sic quoque homo non interibit, sed per mortem mutabitur, resurget, & sole clarior fulgebit. Ne igitur **MICRO-**
COSME animum abiicias, neq; sis pusillanimus, sed spe
certa futuram expectes resurrectionem.

* * *



MAGNIFICO, STRE-
NVO, AC VERE NOBILI VIRO,
Dn. PETRO BREDENRODIO, Potentissimorum
Dominorum Ordinum Prouinciarum Fœdera-
tarum apud Principes Germaniæ Legato
splendidissimo: Domino & Mecœ-
nati obseruandissimo,

S.



VLLI cordato dubium relinquitur, *Ma-
gnifice, Strenue, ac vere Nobilis vir, Domine &
Mecœnas obseruandissime*, quin ea Philosophiæ
pars, quæ de officiis & moribus tractat, me-
dium & optimum Philosophiæ locum oc-
cupet, & recte meditullium Philosophiæ
indigetetur: vt & nemo sanus ambigit,
quin ea disciplina, per quam cognoscimus vt operemur, ea,
quæ in contemplatione tantum subsistit, & per quam non o-
peramur, sed tantum cognoscimus, sit perfectior & excellen-
tior: Ethica autem doctrina operatrix est, & præclare scita ad
rem confert, inque actum producit, vel est, disciplina opera-

D E D I C A T I O.

trix, per quam cognoscimus, vt operemur, non vt cognoscamus tantum, alias *qui in umbra philosophamur, & ad res gerendas nunquam accedimus, quod scimus, nescimus, vt non minus eleganter quam vere alicubi Nobilissimus Huttenus.* Et hactenus ea ipsa officiorum & morum disciplina ad sacrosanctam Theologiam quam proxime accedit, vtpote quæ (Theologia) & ipsa saniorum iudicio non sit tantum contemplatrix doctrina, sed operatrix prudentia, dicente Salvatore: *Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. neq; enim accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum, qui est in cælis.* Subscribit Salvatore Apostolus *εργα δὲ δεικνύτω*: *Finis mandati est, Caritas ex puro corde, conscientia bona, & fide non ficta.* Vere Christiani *περιεργαῖοι* sunt, non *ἀνεργαῖοι* tantum, vt deuotus Claræuallensium proestotes, *Ille, inquit, diuinas literas recte legit, qui verba vertit in opera.* Hæc meditatio diuino Psalti suas odas, sapientissimo Regi suas *παροιμίας*, & sanctissimo illi (non Tullio tantum) Mediolanensium Archipræsuli, & Ecclesiæ *Φωστρε* lucidissimo, suos de officiis libros peperit.

Quo nomine, vt mihi optime meriti esse videntur de Republica Christiana omnes Ethicographi, Oratores, Epigrammatici, Poetæ, & similes, sic operæ pretium factitasse recte existimantur omnes, qui lati uagam illam, & multiugem officiorum ac morum doctrinam in compendia contulere, & in Apophthegmata, Emblemata, Symbola, succincta & sententiose dicta, sæpe in duo triaue verba coarctauerunt, quod summis &

D E D I C A T I O.

mis & sapientissimis olim placuisse, & nunc placere video.

Ad hunc scopum præfens etiam libellus Emblematicus seu symbolicus collinear, qui eo mihi visus est maioris futurus suauitatis, grauitatis & emolumentij, quo memoriam historię, sapientiæ, Pietatis, ac moderationis, summorum virorum, Imperatorum, Regum, Ducum, & similium (quæ memoria semper gratissima simul ac vtilissima esse solet & debet) & qui, quæ mente & ore circumtulerunt dicta, facto etiam comprobaerunt & compleuerunt, adeoque symbola verterunt in opera, luculentius refricat & conseruat, vt non tam delectet quam profit, iuxta illud Venusini vatis: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

Quod ipsum etiam me mouit, vt dicta tam grauia, tamque excellentia luminibus Iconum illustrarem, quibus non tam oculos pascere humilium, quam per oculorum aciem etiam ad animum vsq; penetrarem ingenuorum & celsorum, & ad virtutis imitationem exposcerem atque inflammarem: Quis enim vel celsissimus mente & stemmate, celsissimorum Imperatorum, Regum, Ducum, &c. tam præclare dicta & facta fastidiet, vt non potius ad imitationem virtutum cum admiratione rapiatur? Nec leui ducor ratione, ob hoc ipsum potissimum, artificium hoc siue sculptorium siue cælatorium diuinitus concessum esse.

Vestro autem, Magnifice & Nobilissime, Domine, Mæcenæ honorandissime, Vestro, inquam, laudatissimo Nomini, hoc quidquid est opellæ, inscribere ac dicare volui: Tum
¶ 3 quod

D E D I C A T I O.

quod sciam Vestram Magnificentiam de hoc laborum genere & optime sentire, & sapientissime iudicare posse: Tum etiam vt fauillas notitiæ & consuetudinis quæ Vestræ Magnificentiæ olim cum dilecto genitore meo, piæ memoriæ Iacobo de Zeter, quadantenus intercessit, resuscitarem: Tum denique vt animum meum ad Vestræ Magnificentiæ seruitia & obsequia promptissimum declararem.

Reliquum est, Magnific. V. orare & exorare, vt hoc operis & officii, quod sentio quam sit exiguum, eo, quo offertur & declaratur animo suscipiat, meque in suæ beneuolentiæ & fauoris sinum benigne admittat. Sospitator noster & Ipsa Salus Iesus Christus Magnificentiam Vestram diu feliciter sospitet, seruet, saluet, Francofurti cursim 25. d. Martii, 1618.

Magnific. V.

Officiosis.

Iacobus de Zeter.

Candido Lectori.



*M*ULTA sunt, beneuole Lector, quæ ad humanam vitam emendandam commode adhibentur. Diuina ante omnia præcepta: mox sacræ literæ: sua deinde cuique calamitas: mox & aliena: ac priora quidem illa sic esse, inficiabitur nemo: postremū adeo certum est, ut & Adagio celebretur, *Felix, inquit, quem faciunt aliena pericula cautum.* Sacræ igitur Historiæ alienos nobis casus per sæpe ob oculos ponunt. Cainos, ac illa æternis seculis memorabilia diluuiâ, cum omnis caro viam suam corrupisset: Esauos, Pharaones, Saulos, Manasses, magnis rerum exemplis attentiores, ac diuinis simul præceptis obsequentiores nos scilicet reddens. Idem Historiis prophanis propositum est, quibus post sacras illas primæ ex omni literarum genere merito partes debentur. Adeo magnum ad recte beateq; viuendum adferunt momentum. Ab his tanquã vitæ quadam magistra, saluberrima rebus omnibus exempla, consilia optima petuntur: quam fluxa, quam mutabilia, quam caduca sint omnia, quæ sub hoc sole degunt, docente. Ac quod summum, quod maximum est, ut Deus ipse rex & gubernator omnium, cuncta regat, & moderetur, cuncta dispenset, ut humiles euehat, superbos sede deturbet, atque pro voluntate sua regna distribuât, omnia, inquam, tam in historiis quam Poetis, velut speculo cernuntur. Quibus recte monemur, ut auertamur à vitiis & cõuertamus nos ad studium pietatis. Nemo enim est quin etiam Gentilibus à Deo legem in animo insitam esse sentiat, qua bonum à malo, honestum à turpi, iustum ab iniusto possint secernere. cuius vis, & ratio legis cum ab ea, quæ scripta est, diuersa non sit, quis est qui ut intima, sic scriptæ legis auctorem DEVM negare audeat? Quid vero & hoc infelicissimo nostro seculo quo nobilissimas etiam Prouincias quæ olim veram, & Catholicam Religionem, quam à maioribus acceperant, pie, & sancte retinebant, nunc autem dereliquentes viam rectam, errauerunt, atque in eo se maximam pietatē colere palam profitentur, quod à patrum suorum doctrina

Candido


doctrina quam longissime recesserunt: nulla tam remota regio, aut tam munitus locus, nullus Christianæ reipublicæ angulus inueniri potest, quo hæc pestis occulte irrepere nõ tentarit, quo etiã non perturbatissime insanis complentur vniuersa tumultibus, Bellona furiosum quatit flagellum, furor impius ruptis omnibus vinculorum nodis euolat horridus ore cruuento. Quid inquam hoc rerum pessimo statu nos quoque Christiani atque Catholici agemus? mea quidem sententia, nihil tutius esse videtur quam Philosophari, atque in studiis bonarum artium tempus consumere, & cum præsentis innoxio libello habere colloquium. Hi enim aucto res & sodales, auaritiam, superbiam, atque ambitionem dedocent, bella & dissidia detestantur, ad concordiam inuitant & amicitiam, confabulantur, hortantur, arguunt, consulunt, docent rerum monumenta gestarum, mortis contemptum, in prosperis modestiam, in aduersis fortitudinem, æquabilitatem in actionibus atq; constantiam, Comites læti, docti, humiles, facundi, sine inuidia, sine dolo, & sine querela, ad hos enim migremus, ut à conspectu malorum quibus nostra laborat atas auertamur. Hoc igitur modo legendi sunt tam Historici quam Poetæ, ut ipsa lectio non solum ad suauitatem & delectationem inde percipiendam, sed ad virtutes potius exprimendas atque imitandas, & ad turpitudinem procul abiiciendam referatur. Velut enim Musica, quæ tantum aures inani strepitu ac tinnitu demulcet, nec ad componendam animæ harmoniam aliquid momenti confert, voluptatem habet ἀλογοῦ omnisque rationis & utilitatis expertem, datq; (ut Poetæ verbis utar) sine mente sonum: Sic omnis historiarum, quamuis splendida & copiosa notitia sine conformatione morum ac directione vitæ ad certas exemplorum imagines, scientia tantum vana est, & parum cõducibilis. Quamobrem fructus ex historiis & fabulis capiendus hic est præcipuus, ut & intelligentiam & cognitionem earum rerum, quæ ad gloriam & immortalitatem nobis prodesse

Lectōri.

desse videntur augeamus, & omnes nostras actiones ad nomen DEI propagandum & virtutis æternum decus adipiscendum, tanquã ad unicam metam certissimamque salutis normam dirigamus. Sic fiet, ut vicissitudinem, constantiamq; rerum humanarum perpendentes, in aduersis placidi ac tolerantēs, in secundis moderati, in repentinis casibus fortes, in affluentia & abundantia benefici, in paupertate sorte nostra contenti, in morbis & alijs difficultatibus animosi, in omni denique vita nostræ, statu, intra mediocritatis limites, quos ultra citraque, nequit consistere rectum, constituti maneamus. Hæc præfationis loco in medium afferenda duxi, quæ pro æquitate sua lectōr candidus bonam in partem accipiet, & de qua amicus sincerè iudicabit: si quid præterea in hoc opusculo mendosum, aut minus elaboratum, perpolitumque inuenerit, illud ipsum partim angustia temporis, à qua interclusus, partim certo carminum numero, ad quem astrētus fui, adscribet (nam noster hic libellus maioris amplitudinis chartarum prodijt quam putabam longissimas enim historias, late uerpatentes interdū, in paucos versiculos reāigere cōcētus sum). Hinc obscuritatem euitare prorsus, ut voluntas mea tulit, non potui. Interim hos qualescunque conatus, denique incredibiles impendia Imaginum (nam tantum Pictoribus atque sculptoribus verum etiam vniuerso hominum ordini valde peruiiles, idoneæ & accommodæ) obnixè rogamus ut candidus lectōr benigno vultu suscipere dignetur. Vale.

A

Μικροκοσμος 1. ΗΟΜΟ.



Homo natus de muliere breui vivens tempore repletur multis miserijs. Iob. 14. a.

Accipe cur *μικρότερον* homo dicatur? eoque
Quid studeant nobis significare sopheri.
Cernis vt humana geminas sub fronte lucernas:
Æthere sic celfo lunaque Solque micant.
Conspicis occafum radij folaris, & ortum:
Sic oritur nafcens, fic moriensque cadit.
Frigidus in mundo ventus calidusque vehuntur,
Flantis & os hominis frigus & æftus habent.
Terrea membra grauant, & plenus & aëre pulmo,
Os cerebrumq; madent, corque iecurq; calent.
Humidus eft homo, terreus eft, eft igneus omnis.
Ignis, aqua, & tellus funt elementa tria.
Vt ver infantii: iuueni, fic conuenit æftas:
Cumq; viro autumnus, cum fene quadrat hyems.



*Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet
populo suo in pace. Pjal. 28. c.*

CÆsaries diadema gerens, & palma tridentem,

Atque avis altiuolans sunt monumenta Iouis.

Argenti quoque mundus adest, & feminat agros

Rusticus, atque colunt rura beata boues.

Sponte sua fruges tellus inarata ferebat,

Falci potens reget cum sua regna Deus:

At Ioue regnante multo sudore colendus,

Est ager, & lassus taurus, equusque, gemit.



*Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, que mane oriebaris?
corruisti in terram Esaiæ 14.*

Dicitur in coelis se dijs iunxisse Cupido,
Quos telis etiam læsit & ipse suis.
Sæpius exorti cum seditione tumultus,
Dum facibus superos, dum petit igne deas.
Iupiter hinc puerum pharetra spoliauit & alis,
Et iusta pepulit mox ratione polo,
Debit arua pater sic grata relinquere primus,
Lucifer è cœlo sic quoque pulsus erat.
Nam nihil immundum (sacri quod plurima libri
Verba docent) fœlix vrbs retinere valet.



Os iusti parturiet sapientiam. Proucr! .10. d.

IVpiter in cerebro grauidus gestasse refertur
Fœtum, more quidem (si modo vera) nouo.
Edere cum puerum non posset, Mulciber illi
Ignipotens lato diffecat ense caput.
Pallida sic peperit Sophiam: Sapientia namque
Non ex carne fluit, mens pretiosa parit.
In cerebro residet nam trina potentia mentis,
Qua trino similes dicimur esse Deo.
Sunt quibus ingenium vena tam paupere manat,
Sulcitet vt longa vis nisi magna die.
Excutienda quibus Sophia est, namque ora diferta
Defunt, vt factum monstrat imago Ioui.

PROMOTHEVS IN CRUCEM SVSPENSVS.



In requie mortui requiescere fac memoriam eius, & consolare illum in exitu spiritus sui, Ecclesiast. 38.c.

Dilaniat crebro pendentis ab arbore morsu,
Nuda celer, magni Iouis ales, corda Promothei.
Hac specie, miseros nunquam cruciare, monemur.
Sed dare cum blandis potius medicamina verbis.
Hoc etenim pietas, iubet hoc natura Tonantis,
Hoc præcepta docent. Nam qui curauerit ægros
Atque laboranti comitem se iunxerit: ille
Inter cœlicolas memorabile nomen habebit.



Fita carniū, sanitas cordis, putredo ossium Inuidia, Prouerb. 24. d.

Iupiter excelfo dimifit ab æthere Phœbum,
Virginibus ferat vt nuncia grata malis.
Scilicet vt quæcunqne velint fibi munera pofcant,
Altera dum certe munera dupla ferat.
Nec mora priuari cupit vno lumine liuens
Inuid a, vt fociaꝝ lumen vtrumque cadat.
Inuidus alterius pinguefcit rebus ademptis.
Vtque alijs noceat, damna dat ipfe fibi.

Non semel est, neque bis, minus est, sed utrumque vocatur.



Breves dies hominis sunt numerus mensium eius apud te est, constituisti terminos eius, qui prateriri non poterunt. Job. 14. a.

Est mulier facie collo tenus, alta columna
Terminus est reliquum corporis, atq; lapis.
Hunc videt astripotens auersa fronte, iubetque
Cedat vt è campo, præbeat atque locum.
Cui fidens animi constanter terminus inquit:
Cedo deo nulli: nil monet ipse tridens
Consiste fixus, nec non immobilis vsque,
Nec prece, nec precio, nec moueorque nimis.



Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis. Lucae 18. a.

Quid mola quam nullus ventus rotat? ipsa Deorū
Effigies quidam quæso notasse velit?
Fulmina rar a iacit Diuum pater atque hominū rex,
Ira dei Lento repit, adestque, gradu.
Compensat tamen ipsa moram punitio tardam,
Supplicij iusta duplicitate sui.
Carceribus ruptis tandem patientia Læsa
Fit furor & iustum nescit habere modum.

HERBARVM VIRTVS.

9



*Neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine
sermo, qui sanat omnia. Sapient: 16. b.*

Dum quærit Medicus sacras Epidaurius herbas,
Fronde coronatum Iuuenem conspexit in imis
Vallibus, ille pecus per devia pastor agebat:
Et sternebat humi Basiliscum Marte secundo.
Accedens propius Medicus, de fronde coronam
Obtinuit precibus, rursus Basiliscus ad arma,
Et noua bella ruit, Iuuenemque occidit inermem.
Tum medicus, latet his virtus sub frondibus, inquit,
Et parat extincti pastoris inungere corpus
Hoc ferto, mirum, Iuuenis v'italibus auris
Vescitur, & vita rursus sua funera mutat.
His herbis tribuit diuina potentia vires.
Vt possint homini morbos auferre, salutem
Reddere, languores, & noxia tollere vitæ.



*Nunquid possum deferere vinum meum, quod latificat
Deum & homines. Iudic. 9.*

S Cire cupis, quare Bacchus depingitur alis?
Pegasus & velox cur sibi iunctus equus?
Huius origo patet ratio est notissima tantum
Hic subscripta leges carmina: certus eris.
Vuas cum Baccho populus deferret Amycla:
Dicebat alas candide Bacche geras.
Bacche geras alas, hederæ & tua tempora cingat,
Gorgoneusque comes sit tibi semper equus.
Bacchus enim præstat multo cum sanguine vires,
Ipse colore suo tristia corda fouet.
Insuper & terris attollit ad ardua mentes,
Confortat nervos, ingeniumque iuuat.



*Acquiesce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc
habetus fructus optimos. Job. 22. d.*

A Vrea sub terris fixit sua limina Plutus
Illic auratos montes, & mille gubernat
Diuitiæ cumulos atque aurea munera mille.
Sub pedibus calcata iacet Bellona, cruoris
Semper amans, furiosa rapax, & causa tumultus.
Candida pax dextra Plutum trahit atque sinistra,
Plena manu seruat variarum cornua rerum.
Omnia proueniunt largo tum denique fluxu
Cum pax belligero superato Marte triumphat
Fœdera sed veræ descendunt Pacis ab illo
Qui prius iratum placuit Numen, idemque
Et genus humanum concordia pace ligauit.



Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulat in vijs eius. Labores manuum tuarum quia manducabis beatuses & bene tibi erit. Psal. 127. 4.

VElocem sequitur cēruum diētynna Diana:
Latratuſque canum tollitur vſque polum.
Hanc amor inſequitur iaculans, neq; Cæditur vlllo
Vulnere, ſed fruſtra miſſa ſagitta volat.
Si neſcis cauſam, labor hanc defendit, Amoris
Tela repercuſſit, ſuſtinuitque dolos.
Quiſquis eſ ergo volens, ſuperare Cūpidinis arcus,
Cedit amor rebus, reſ age tutuſ eris:



Stipendium peccati mors. Roma. G. d.

S Tertebat somno mors iuncta Cupidine secum,
Mors pharetram, blandus tela gerebat amor.
Alter & alterius male prouida spicula sumpsit,
Mors aurata tenet, ferrea tela puer.
Inde senex quem iam decuit requiescere luxu.
Ecce amat, & capiti florea serua parat.
At puer insolito pueri quia tactus ab arcu
Deficit, infelix, ac Acheronta petit:



*Mores hominum mendacium sine honore: & consulsio illorum
cum ipsis sine intermissione, Ecclesiast. 20. 1.*

DUce melos resonant citharæ, curisque relictis
Sacrificant genio, dyque deæque simul
Æneadum genitrix numeros bene saltat in aptos,
Exaltata manus florea certa gerit.
Tota cohors diuum choreas vno ordine laudant:
Lætitiæque leues euge triumphæ canunt:
Nescio quid solus voluit reprehendere Momus:
Sandalium Veneris clamitat esse loquax.



*Sapiens cor & intelligibile abstinere se à peccatis & in operibus
iustitiæ successus habebit, Ecclesiastici. 3 d.*

Dic citeræa Venus socioque Cupidine quare
Calfacis ipsa pedes, calfacis ipsa manus?
An quia non præfens tibi stat facundus Iacchus?
Non etiam coram est puluerulenta Ceres?
Sobrietas vbi regnat, ibi damnosa voluptas
Alget & in Curios prælia nulla mouet.
Ebrietas vbicunque potens, & copia regnat,
Mater adulterij bella nefanda ciet,



*Decedamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non
audiat unusquisque vocem proximi sui. Genes. ii.*

Limina dum referat Posticæ forte Priapus:
Horrendum extremo protulit ore sonum.
Sic postquam Magicæ procul audiuerè recludi
Vestibulum, celeri terga dedere fugæ.
Nec prior extremam, remorata nec illa priorem
Alyciunt, quicquid carmina dira, iuuat
Nos monet hoc, si quid facimus, cui fata repugnât.
Protinus ira dei deprimet illud opus.
Sic euerfa iacent Babylonis tecta potentis,
Sic tumida Memroth facta superba viri.
Sic enim referunt doctorum scripta, Voluntas
Cœptibus humanis est inimica Dei.




Dominus omnium es, nec est qui resistat Maieitati tuae. Heft. 13.

EX auro Tyri Phœbi statuere figuram
Martem compedibus Sparta tenere solet,
Picta que perpulchrè Victoria stabat Athenis,
Sed pennas humeris non tulit illa suis.
Omnia sic superum diuino numine fiunt:
Quæque Deus statuit vertere nemo potest
Fabula significat si rem dilexeris vllam
Numine contempto, Numina vana colis.
Diuersis scriptura locis quod monstrat, & illud
Æthereus vero spiritus ore docet.



*Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo
manet, & Deus in eo, 1. Ioan. 4. c.*

TRes cernis Charites, positas sine veste puellas,
Quæ celebres magnis vatibus esse solent.
Quarum prima tenet præclarum Aglania nomen,
Quod notat eximia nobilitate nitens.
Casta Thalia sequens nomen, quo rite notatur
Candidus ætatis flos ineuntis, habet.
Euphrosine postrema fuit vocitata, petendæ
Est ea lætitiæ nam sine fine parens.
Pictor eas posuit nudas, simulatio namque
Fusus & inuisus debet abesse dolus.
Quodque simul sociæ iunctis amplexibus astent.
Tertia quod tergum præbeat, ora duæ:
Fœdus amicitiae docet hoc seruare, sodali
Seu fortuna fauens, seu sit iniqua tuo.



Beneficentiae autem & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus. Hebr 2. 13. c.

Sacra fuit Romæ vastis innixa columnis
Ædes qua populi tres coluere deas.
Insignita fuit benefacti nomine prima,
Munera suscipiens altera dicta fuit.
Grataque mens postrema stetit: nil pulchrius illa,
Ut nihil ingrata foedius esse potest.
At velut intactæ sunt hæ castæque puellæ,
Perpetuo purus sic retinendus amor.
Utque carent rugis, ut sunt florentibus annis,
Vultibus & lætis, ut quoque veste carent:
Sic amor & vigeat, sic dandum fronte serena,
Sic careat fuco, sic sine labe micet.
His quoniam fiunt contraria, peste fameque
Et longa hostili cædimur ense die.



Ævumna seculi & deceptio divitiarum. Marc. 4 c.

A H scelus indignum tibi quis perdocta Minerua
Insidias struxit, blandaque verba dedit?
Sola lapis verè nunquam non prouida virtus
Iam scio decepit cauta *φιλαργυρία*.
Stulta fames auri, mala fraus, & fictio duplex
Perleue te captam rete Minerua tenent.
Quisquis es ergo caue regina pecunia vincat,
Illa deos fallit, fallit & illa viros.

F



*Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis ad te
autem non appropinquabit. Psal. 90. b.*

Est volucris nomen paradisi sumit ab horto,
Semper agit ventos, & fertur in aëra pennis
Huic etenim Natura pedes inimica negavit.
Sic incerta, leuis, vaga, lubrica, mobilis, atque
Inconstans Fortuna loco non hæret eodem,
Semper & ambigua dubiaque in sede moratur.
Propterea illius Smyrnæ posuere Coloni
Truncatis pedibus statuam, quod sistere firmo
Se nequeat gressu, medias dixere per auras
Instar auis, depicta, celer Fortuna volabis,



Non auferet à inſto oculos ſuos, & ſi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis. Iob. 36. 6.

Herculeo exultans fortunæ fune sinistram
Pauperies retinet, sub pedibusque premit.
Sub sapiente iacet fors, quamuis paupere victa,
Nullaque fortunæ tela veretur inops.
Viribus inferior fortuna est paupere, pauper
Fortunæ nescit succubuisse dolis.
Sit modo vestitus membris, victusque caducis,
Securus pauper nocte, dieque canit.



*Nescitis, quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem in stadio
currunt: sed unus accipit brauium? 1. Corintio 9.*

Cursus hęc superabat equos Atalanta fugaces,
Quę nec danda viro, nec redimenda fuit.
Victore, sed victa datur, superata Iuuentus
Debebat subitas Mortis obire vices.
Dumque pedum certat cursu, Megareius heros:
Astutus per agros aurea poma iacit.
Declinans cursus, aurumque volubile tollens,
Imprudens Iuuenis victa puella dolo est.



*Nec accipies munera, quae etiam excecant prudentes, &
subvertunt verba iustorum. Exodum. 23.*

FVnera post Patris cum forte Tyberius esset
Cæsar tecta petens, scabie varijſque repletum
Hulceribus quendam vidit, seruoque, misertus
Has abigas misero muscas ait: ille repente
Iussa facit domini: muscas pulsurus ab illo:
Tum miser, abstineas inquit, hæc turba quiescat,
Quæ si forte abeat, nostro quæ sanguine dudum
Iam tumet, accedet subito noua copia, rursus
Et ieiuna cohors, nostri quæ sanguinis omne
Quod restat rapiet, magis atque infesta nocebit.
Sic Iudex opibus qui scrinia multa repleuit.
Non facile ille dato violabit munere leges,
Sed nouus, argenti cupidus, sitibundus & auri.
Si veniat Iudex: leges corrumpere paruum
Indicat esse nefas, modo munera larga ferantur.



Similiter odio sunt Deo, impius & impietas eius: sed illi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt. Sap. 17 a. Ecclesiast. 77. b.

PEr medios hostes patriæ portauit ab igne
Æneas humeris dulce parentis onus.
Ascaniumque suum extento quasi pollice duxit,
Inde virum sanctum gloria magna manet.
Non puduit te maternas aperire Latebras,
(Horresco referens) sanguinolente Nero.
Lustrariſque locum quo sis formatus in aluo,
Hincque tuum nomen dedecus vsque manet.
Impius hic matri vitamque animamque peremit,
Quam pius & nato, seruat & ille patri.



*Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa & dies mor-
tis die natiuitatis. Ecclesiastes. 7.*

DEfuncti Gentes redirnebant tempora lauro,
Cum vellent gelido condere membra solo.
Tunc Adrianus, ait, Cæsar mihi dicite causas,
Cur caput extincti laurea ferta premant.
Reddidit ista Bias, quia nunc mœrore carentes,
Pressuras mundi deseruere graues.
Quod si turba suos vitali lumine cassos
Ethnica, funærea leta recondat humo:
Qui tamen immitis Plutonis regna subibant
Protinus, & quibus est ianua clausa poli.
Cur nos Christicolæ funus ploramus amici,
Qui loca pro terris iam meliora tenet?
Nos: quibus est Christi promissa potentis imago
Et datur æthereas scandere posse domos.



Viriliter age, & confortetur cor tuum, & suscipe Dominum.
Psalm. 26, d.

NUnquam conueniunt, nec in vna sede morantur
Maieſtas & amor. Sardanapalus amat.
Sardanapalus amat, grauitatemque exuit omnem,
Penſa meretricum captus amore trahit.
Turba puellarum ſtipans, heroica facta
Dedocet, & fuſis ſuadet a deſſe ſuis.
Eſſe velis igitur rigidi ſeruator honeſti,
Te trahat in naſſam ne qua puella caue.



*Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam
quam fecit. Psalm. 7.*

Ille opifex Taurum desculperat ære Perillus
Auctori nocuit sed tamen illud opus.
Hunc etenim Siculo fertur donasse Tyranno,
Ingenio cupiens præmia digna suo.
Aspice dixit opus, latus est ad apertile tauri,
Quo reus in flammæ præcipitandus erit.
Non hominis poterit iactare ad sidera voces
Si gemat aut clamet vox erit illa bouis.
Tum Phalaris, melius quo munere munera pensam,
Ipse tuum præsens imbuere dixit opus.
Protinus inuentor Tauri carbonibus vstus,
Mugitus gemino reddidit ore bouis.



*Cer meum conturbatum est in me, & formido mortis
cecidit super me. Psalm. 54.*

DUlcibus accumbens mensæ, dapibusq; meroq;
Abstinet, atque cibos sumere posse negat.
Rex hominem inuitat frustra: nam pendulus ensis
Impedit: inque caput ne ruat vsque timet.
Tam vehemens mortis timor est, urgente periclo,
Rebus in aduersis, omnis orexis abit.
Aurea sceptræ, potens solum, diademaq; regum,
Quæ placuere prius, displicuisse solent.



Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram vel sinistram. Deutero. 17.

R Ex erat ecce petens & trina prole decorus:
Doctus vt in scriptis Seneca noster habet.
Hic tres proposuit volucres ex ordine natis,
Ex quibus ipse vnā carpere quemque iubet.
Maximus ex illis aquilam cepisse superbam
Dicitur: accipitrem sœuus & alter amat.
Vulgarem minimus turdum capiebat, & vltro
Huic regale dedit rex diadema suum.



*Quicumque ergo voluerit, amicus esse seculi huius:
inimicus Dei constituitur. Iacob. 4. b.*

PLuto fedet, palmaque tenet rex sceptrum bidentem,
Sæcula confurgunt ferrea, frausque potens.
Armati currunt homines noua bella cientes,
Mars furit, incensam gestat in orbe facem.
Nulla probis pax est, cacodæmones omnia turbant:
Turbant Telegoni, Gorgones atque feræ
Exultat à nobis amor, & reuerentia legum,
Terraque dat nullum fasque pioque locum.



*Et erat Ioannes vestitus pilis cameli, & locustas & mel sil-
vestre edebat. Marc. i. a.*

Pythagoram celebrem Samiæ telluris alumnum
Delitys spretis sobria mensa iuuat.
Non onerant mensam carnes, non vina superba,
Vnda sitim sedat, panis & herba famem.
Ah pudeat nosmet nostri qui nomen ab ipso
Accipimus Christo, Christicolæque sumus.
Tempora Panthoidæ sunt parca, & sobria, valde,
Ebrietas nostro tempore regnat iners.



In patientia vestra possidebitis animas vestras. Lucæ. xi.

QVanta viri quondam fuerit patientia docti
Socratis, hoc lecto carmine doctus eris.
Vxores habuisse duas narratur ineptas,
Lumine Læsa prior lippa secunda fuit.
A quibus ille modis sæpe est tractatus iniquis,
Verberat hæc pugnis, trudit & illa pede.
Exilienſque domum misere est conspersus vrina,
Afflictu varijs & sine fine malis.
Egregieque iocum madidus tunc addidit istum,
Post tonitru, dicens, nimbus adesse solet.
Utque foret duris virtus exercita rebus,
Has voluit studio semper habere sibi.



*Omne donum optimum, & omne donum perfectum, de fursum
est, descendens à patre luminum. Iacob. i. c.*

Discipulus sedet in medijs clarissimus arte
Cecropius, morum dans documenta Plato.
Diogenes bipedem nudato corpore gallum
Ostentat, referens: Ecce Platonis homo.
Nemo sapit semper, nemo perfectus in arte
Qualibet, in multis errat & ipse Plato,
Ipse etiam quandoque bonus dormitat Homerus:
Parvus & indocto quolibet error inest.



*Omnis enim arbor qua non facit fructum bonum
excidetur & in ignem mittetur. Mathei 3. c.*

Quid sibi vult querc⁹ spatientibus vndiq; ramis
Dissociata viri quæ gerit effigiem?
Arbor homo verla est, pedibus intentibus alte,
Est que caput radix, inquit Aristoteles
Si bona sit radix, fructus dabit arbor opimos,
Sin careat succo, nil ue, parum ue, feret.
Mentis & humanæ si sit sapientia radix.
Moribus orba malis, plena bonis que viget.



*Non enim habemus hic manentem civitatem: sed futuram
inquirimus. Hebra. 13 c.*

VIta quod hæc Hominis tam sit brevis, atque ca-
duca:

Non vult Diogenes ædificare domum.

Vas domus est, in qua sapiens sua gaudia sentit,

Contentusque suis, regia nulla petit.

Æmathioque duci quærenti qualia vellet

Munera, responsum libera lingua dedit:

Corde velim toto Rex augustissime solem

Nemihifurripias, quem tribuisse nequis.



Est autem questus magnus pietas cum sufficientia.
1. Timoth. 6.

Dlogenes cui pera penus, cui dolia sedes,
Diuitias cœni ducere more solet:
Conspiciens claro puerum de fonte bibentem
Excauitate manus talia dicta dedit:
Cur ego non sanus miseris me torqueo curis?
Fictilis & vasis cur onus ipse fero?
Abiecitque statim, ciathum quem ferre solebat,
Præbuit & potum concaua fonte manus.



Veruntamen uniuersa vanitas: omnis homo. Psalm. 38.

IN foras se confert accenso Lumine mordax
Diogenes, medium sole tenente polum,
Obstupere omnes, & quæ sit causa rogarunt,
Ad quos continuo talia dicta dedit:
Quæro homines: dicunt illi, quos quærit adesse:
Non, ait: hoc etenim vita ferina negat.
Is ratione suos a ctus vitamque gubernat,
Qui verax hominis nomen habere cupit.



*Melius est modicum iusto: super divitias peccatorum
multas. Psalm. 36. b.*

HAc Sophiae cupidus monstratur imagine: Cra-
tes,

Qui bona fortunæ temnere vana docet.

Prædia cum densis vt vendidit omnia syluis,

In massam nummos iussit abire suos.

In mare proiecit, factis hæc addidit ore:

Te perdam melius quam sine fine premas.

Hæc moueant exempla tuos mammona sequaces.

Immemores quid nos pagina sacra docet.

Incidet in casses astuti Dæmonis, inquit,

Qui modo diuitijs nocte dieque vacant.

Adde quod ad manes hos grata pecunia ducat,

Est tamen hæc stygio non crucianda lacu.

Huic igitur ne corda deo submitтите vano,

Veri ast possideat spiritus illa Dei.



*Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda vestra
in crapula & ebrietate, Luca, 21 g.*

TRes vitis profert vuas, tria pocula mensæ
Si circunspicias, apposita esse vides.
Muta tribus vicibus docet hæc pictura bibendum:
Scilicet vt sedent pocula prima sitim.
Altera rancorem crudo de pectore pellant,
Firma valetudo quo tua membra bect.
Tertia sed misce tibi pocula, propter amicos,
Inter quos mancant gordia vincla decet.



*Homo quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut
umbra & nunquam in eodem statu permanet. Job. 14. a.*

CAllida Sphinx cuius longus pars vltima serpens,
Ætheream facies indicat esse deam.
Proponit multis latebrosum ænigma, necatque
Qui tenebras cæcas soluere posse negant.
Quod monstrum quadrupes mane est titane mi-
cante.

Sole bipes medio, vespere stantetripes?
Vir quadrupesque, bipesque, tripesque, est vnus &
idem,

Pectoris ætherei quem dedit esse Deus.
Repit humi paruus manibus pedibusque puellus,
Ingreditur iuuenis fortis ad arma bipes.
Confirmat baculo tardi vestigia gressus,
Decrepitum cum iam tarda senectæ vehit.

IN ALIENA VITIA LYNCEUS IN NO-
stra alpæ.



*Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem
in oculo tuo non vides, Mathei. 7. a.*

Quisquis es abstineas alienos carpere mores,
Lynceus è contra crimina scribe tua.

Quam geris in dorso vacua est cur mantica? quare,
Quam geris ante tibi zoile pera tumet?

Hoc est quod spectes oculis male lippus inunctis
(Ah nimium vecors) facta philaute tua.

Alteriusque malos mores specularis acutim:

Hosque nocet nimia sedulitate manus.



*Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non
habeam factus sum velut assonans: aut cyribalum & inniens.
1. Corinth. 13.*

O Ginion Herculeo referunt hunc nomine di-
dum,

Cuius lingua fuit chordis religata solutis.

Et simul aurata, laxè pedente, cathena.

Ingens qua populus connexus restibus, ibat.

Non secus eloquium Gallilatiale figurant,

Cum rapit huc homines, concordì fune ligatos,

Vt præcepta Dei cupiant audire libenter.

Quæ dum mundus erit, nunquam peritura mane-
bunt.



*Mors & vita, in manu linguae: qui diligunt eam,
comedent fructus eius. Proverb. 18.*

S Cire volens rex Ægypti, quæ pessima quæque
Optima pars Brutum miserat ecce Biæ,
Protinus erectam (fame si creditur) illi
Egregia linguam, tum ratione dedit.
Hac laudes canimus superos, solamur & ægros,
Hac animos, dubijs consiliumque damus
Protegit hæc etiam specie mendacia veri,
Protegit hæc fontes, innocuosque premit.
Impius hac etiam scurrilia multa profatur.
Nec timet in summum dicere probra Deum.

AD AUDIENDVM VELOCES, TARDI AD 45
loquendum.



*Homini est animam preparare, & Domini gubernare
linguam. Proverb. 16.*

DOctum lector habes hic è regione Solonem
Qui linguam sapiens amputat ense suam.
Istius hanc causam fertur scripsisse rogatus:
(Ore etenim vetuit lingua resecta loqui)
Sæpius audiui multis nocuisse loquelam:
Nec vitio cuiquam se tacuisse fuit.
Utque loquax fileas duplici munimine dentes
Vallauit mira prouidus arte Deus.
Sic quicumque potest linguam frenare volucrem,
A multis animam liberat iste malis.



*Qui abscondit frumenta maledicetur in populis, benedictus
autem super caput vendentium. Prouerb: 11.*

Presserat ecce Rhodum permagna penuria rerū,
Diraque multorum clauserat ora fames.
Cum subito adueniunt tres lata per æquora naues,
Illarum tritico quæque referta fuit.
Nauta statim, postquam lætus pede littora pressit,
Ciuibus hæc miseris nuncia læta tulit.
Ne nimium dixit, ciues, pro mercibus istis
Solvite, mox plures adfore dico rates.
Quisquis es hanc etiam, nauta monitore beato,
Iustitiam cura rebus adesse tuis.
Pro vero paleas tritico ne distrahe duro,
Tempore, nec claudas horrea plena, famis.
Sic manifesta tibi benedictio, crede tonantis
Desuper adueniens quæque petenda dabit,



*Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in
omni tempore. Psalm. 19.*

TRes habuit quidam, præclaro stemmate, Na-
tos,

Ex quibus vnus erat thalamo non certus eodem,

Vix pater in tenues moribundus abiuerat auras:

Ecce parant lites pueri, quis iure relictas

Vsurparet opes, & amicæ munera Sortis.

Continuo ludex defuncti membra parentis

Arboris affixit trunco: qui pectora tanget,

Inquit, habebit opes, illi patrimonia cedent.

Iamque duo primi genitoris viscera telis

Traijciunt, minimus nulla ratione volebat

Lædere membra Patris, potius sed linquere vitam,

Hunc pietas natum testata est esse parentis.

Nam vires superat Natura potentior omnes,



*Qui diligit filium, assiduat illi flagella, ut lateatur
in nouissimo suo. Ecclesiast. 30.*

Cernitis hic iuuenē, manib⁹ post terga reuinctis
Ad crucis inuisæ tristia fata rapi.
Ille prius pauidæ matri, quam triste subiret
Supplicium, cupiens oscula chara dare.
Dentibus ipse suis multo cum sanguine nasum
Deripuit matris (res memoranda) suæ.
Non temere hoc, dixit, facio, nam maxima poenæ
Et miseri interitus hæc mihi causa fuit.
Non igitur nimium natis laxate parentes
Frœna, nec impunes facta maligna ferant.



*Spatisa via est qua ducit ad perditionem, & arcta via
est qua ducit ad vitam. Mathei 7. b.*

DVm iacet & dulci reparat sua corpora somno
Sub picea agnitenens Amphytrionides
Ecce duas Diuas dextra leuaque videbat:
Vna fuit Virtus, altera blanda Venus.
Difficiles aditus ostendens vertice in alto
Defessis requiem mandat habere dea.
Molle iter ostendit fallax Venus, vltima meta
Præcipitans captos, per fera saxa trahit.

QVO SEMEL EST IMBUTA RECENS SER-
nabit odorem testudin.

50



Adolescens iuxta viam suam, etiam cum scruerit,
non recedet ab ea. Prouerb. 22.

QValiacunque nouæ testæ infunduntur, eorum
Temporibus multis, huic remanebit odor.

Sic homini quidquid primo inspiratur ab æuo,

Ut patet, hoc etiam curua senecta tenet.

Hac ratione, pij natos implete parentes

Artibus ingenuis, moribus atque bonis.

Mens etenim pueri rasæ est æquanda tabellæ

Artifices in qua sculpere quæque valent.

Has vero tabulas vitijs depingere, magnum

Esse nefas Christi verba sacrata docent.

Quisquis ait, puerum teneris offenderit annis,

Hunc melius rapidi mergeret vnda maris.



*Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de ultimis
finibus pretium eius. Proverb. 31.*

QVam celebrat totus formosa Semiramis orbis,
Fœminea gestat martia tela manu.
Audens prima trucidare tentare pericula belli,
Fecerat ut quondam Penthesilæa, furit.
Agmen agens peditum Babilonem cœpit opimam
Quæ fuerat regi non bene fida suo.
Ergo qui cupitis sine bello vivere diro
Oppida, principibus fida manete viris.




*Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus
annorum incertus est tyrannidis eius. Job 15, c.*

Hoste solet victo, miseranda in cæde, cruore
Purpureo, madidam reddere Cyrus humũ.
Huic animosa tamen mulier (res digna relatu)
Permagna refecans Dexteritate caput.
Sanguinis hoc proprij rubras intinxit in vndas,
Insuper hæc factis addidit ore suis:
Nunc bibe, nunc truncus proprio satiare cruore,
Qui nunquam poteras sanguinis esse satur.
Scilicet hic duris solet exitus esse Tyrannis.
Hac inclementes morte perire solent.



*Aque furtivæ dulciores fiunt : & panis absconditus
suavior. Proverb. 9.*

NOta veneficijs Circe est, quæ voce canora
Decepit multos callida sæpe viros.
Huius ad arua fuit ventis impulsus Vlysses
Sit modo Nasonis versibus vlla fides:
Obstruit hic aures cera, maloque ligatum
Ad se non potuit vertere dulce melos.
Pacifer huic etiam florem Cyllenius album
(Moly vocant) contra dira venena dedit.
Protinus at focij petierunt littora Circes
Deque manu capiunt pocula sæua deæ,
Ecce lupi subito fiunt vrsique canesque
Prudentesque prius, nunc ratione carent.



*Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.
Ecclesiast. 16.*

HAc tibi Penelope monstratur imagine, lector,
Fida suo remanens non sine laude viro.
Namque vir illius denis licet abfuit annis,
Et fuerit multis sæpe petita viris :
Illa tamen statuens vitam feruare pudicam
Illudit mira calliditate Procos.
Tela mihi dixit fido texenda marito,
Hac facta, fiet copia cuique mei.
Cæpit opus, quicquid studiose luce diurna
Fecerat, id noctu soluerat, ante diem,
Callida sic opus hoc multos protaxit in annos
Ad patrios donec vir redit ecce lares.
Integra sic mansit dicti non immemor huius,
Nupta pudica quidem sola cubare potest.



*Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustijs
comprobat. Prouerb. 17. c.*

Romæ erecta fuit Iuuenis florentis imago
Vestimenta ferens viridi depicta colore.

Nomen amicitiae referens: quæ semper eundem
Inuariata suum nouit retinere vigorem.

Fronte tenebat Hyems, Æstasque notantia veros
Aduersis simul & lætis in rebus amicos.

In medio hæc duo verba procul prope pectus ha-
bebat,

Quo simul absentis notat & præsentis amorem.

Quod Mors, Vita, stetit vestis, sub margine scripta:

Signant amicitiam nunquam succumbere morti,

Verum perpetuum vitæ seruare tenorem.

Tempore quisque suum duro cognoscit amicum.



*Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam
ponat quis pro amicis suis. Ioan. 15.*

SI petis exemplum veri, pie lector, amoris
Huc tua, ni pigeat, lumina flecte parum.
Carceribus Damon miser est inclusus acerbis
Euinctus geminas ad sua terga manus.
Consensu Regis patriam remeare petiuit
Disponat rectè, rebus vt ipse suis.
Ecce subit Pythias (quo charum soluat amicum)
Carceris interea vincula dura grauis.
Tempus adest lueret pro fido morte sodali
Ducitur ad mortis (res miseranda) locum.
Interea Damon rediens, ait, optime Iudex,
Hunc dimitte virum me rape, meque neca.
Protinus admirans Iudex dimisit vtrumque,
Atque inter socios tertius esse cupit.
Vt patet hinc certe multo est pretiosior auro,
Qui dat in aduersis rebus amicus opem.



*Facite iudicium & iustitiam: & liberate vi oppressum:
de manu calumniatoris. Ieremie, 22. a.*

EMpedocles dum forte Rei defendere causam
Sulciperet, placido releuantes membra sopore
Legiferos vidit, quibus hac est voce loquutus:
Quidam Asinum nummis conduxit quinque viator,
Quo simul ac latebras subijt, nam lumine pleno
Cynthius & radijs mundum lustrabat apertis,
Constitit, ac Asini fessus requieuit in umbra.
Non tamen hoc patitur, dominus recubare sub illa
Ipse cupit, sic umbra duos certare coëgit.
His tacet Empedocles. Iudex narrantis ab ore
Pendet & hæc nobis ait ordine dicere pergas.
Nec mora subridens, Asini tibi gratior inquit
Umbra fuit, quam causa rei, cum corpus haberem
Somnia quam miserè perit hæc respublica certe,
Iustitiæ cum iura silent, quæ crimina tollunt.



*Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat
dextra tua. Mathæi. 6.*

Postquam Archilla suum vidit prædiues amicū
Afflictum, misera pauperieque premi:
Ille opibus cupiens succurrere, clauserat eius
In puluinari, clam, sua dona, viro.
Duritiam sensit dein puluinaris, & illic
Repperit inclusas pauper amicus opes.
Hac etiam ratione, iubet nos Christus egenis
(Clam puta) de nostris ferre libenter opem
Et pater in tenebris, qui nunc, ait, omnia cernit,
Restituet multo fœnore cuncta tibi.



*Non peiurabis: reddes autem Domino iuramenta
tua, Matthai. 5.*

Pacificus Romæ sacram Numa condidit ædem,
Quæ fidei templum nomine dicta fuit.

Hæc constructa stetit sublimibus alta columnis,

Forma rotunda, domus circulus vnus erat.

Hic populi iurare solent, hic foedus inibant,

Hic verbis viguit constabilita fides.

Quod si præstiterint gentes, quæ numina Christi,

Numina quæ veri non habuere Dei:

Quo minus ergo suam Christi qui nomine gaudet,

Deberent pactam continuare fidem.

Qui superos inquam, qui conscia Numina, testes,

Accipiunt, quando foedus inire volunt.



*Non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur dives
in diuitijs. Ieremi, 9.*

Viribus ille fuit tam magnis Fermius olim,
Creditor vt tellus vix habuisse parem.
Incudi potuit nudum supponere corpus,
Qua super admisit cudere sæpe viros.
Est miranda quidem vis maxima corporis huius,
Vix natura sagax limite clausa tuo:
Attamen hoc illi vitio datur, ipse periculo
Dum sese nulla cum ratione dedit.
Nam quisquis discrimen amat perdetur in illo:
Vt, docti referunt, non sine laude, viri.



Propter hac & per his similia passi sunt dignè tormenta, & per multitudinem bestiarum exterminati sunt. Sapient. 16.

PLurima sunt nobis de forti scripta Milone,
Quam validis quondam viribus esse solet.
Sæpius hic taurum montem gestavit in altum,
Atque necans pugno deinde comedit eum.
Sæpius atroci magnaque tyrannide brutis
Infestus miseris (re-patiente) fuit.
Arboris iste manus rimis immisit vtraque
In partes cupiens dilaniare duas.
At valido palmas compressit robore truncus,
Omnibus & vincitum detinet ecce feris.
Quasque ferox avida paulò ante reclusit in aluo,
Cogitur his victus nunc miser esse cibus.



Per qua peccat quis, per hac & torquetur. Sapiens. II. c.

QVandoquidem Diuū phrygius secreta reuelat
Tantalus, & linguæ fræna tenere nequit:
Quærit aquas in aquis sitibundus, pomaque captat
Quæ fugiunt, pœnas garrula lingua luit.
Si qua tuæ fidei fuerint commissa tegantur
Semper, & à nimia garrulitate caue.
Nil siluisse nocet, contra nocet esse locutum:
Par fueris Diuo, si taciturnus eris.



Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit ut coluber. Sap. 23. d.

R Vsticus vt vitis vinosas proferat uvas
Stercora brutorum quattuor addit humo.
Qui nimium potat de vitis fructibus huius,
Armento similis redditur, atque feræ.
Primus decipitur simplex velut agnus, & alter
Ridiculo gestu multa iocosa facit.
Tertius vt porcus coitum sectatur inertem,
Quartus in aduersos more leonis agit.



*Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant
te in omnibus vijs tuis. Psalm. 90. c.*


IN vada præcipitant citharædum turbida nauæ,
Sanguinea superant qui feritate feras.
Veste sibi rapta, vada cærulea sulcat Arion,
Delphinis citharæ mulcet & ora sono.
Quæ sit auari hominis non tam mæs dira ferarū est,
Quosque viri iugulant, parcere piscis amat.
Quem pia seruatum dignatur dextera Christi,
Integer, illæsus, saluus ybique manet.

R



Prosperitas stultorum perdet illos, Proverb. i.

Semper amica fuit Samio fortuna Tyranno,
Vix illi inuenies tresue duosue pares.
Tempore quod longo didicit cum Regis amicus,
Compositum reuoco fœdus amoris, ait.
Rex vt amicitia chari frueretur amici,
Annulum in æquoreas præcipitauit aquas.
Postque dies aliquot, fuit ad conuiuia ductus,
Fulgebat varijs mensa resecta cibis.
Iamque dapes caperent, Regis, quis credere posset?
Annulus in medijs piscibus ecce iacet.
Quis fuit in toto felicior orbe creatus?
Non Cræsus similis, nec fuit ante Midas.
Auri sacra fames animæ solet esse nociua
Diuitis exemplo quod docet atque monet.



*Loquere terra, & respondebit tibi; & narrabunt
piscis maris. Iob. 12. 6.*

A Quor habet piscem Remora est hic nomine
dictus,

Non est extenso longior ille pede.

Fronte gerit cornu, quo magnas læpe carinas

Ne fugiant, tumidas continet inter aquas.

Hinc vos Terrigenæ perpendite quanta potestas

Sit superis, quam sit dextera longa Dei.

Quin etiam si qua est (sed abest) dementia Christo,

Exuperat cautos hac tamen ille viros.

Et domini robur nimium prosterneret omnes

Humanas acies, militiæque viros.

Rumpere castra potest quæcunq; geruntur in orbe

Cum tonat, & martis fulmine versat opus.

Contineat que licet tonitrus & fulmina, nutu

In caput auctoris tela remissa cadent.



*Melior est sapientia quam vires: & vir prudens
quam fortis. Sapient. 6.*

CVm Rex præcipuos ex vrbe Philippus Athenis
Posceret, Orator talia verba tulit:
Pastores & oues simul & numerosa canum vis,
Mouere in rapidos aspera bella Lupos.
Iamque lupi pacis componunt fœdera, linquat
Si modo perfidos turba inimica Canes
Pacta placent, socios mittunt, tutore carentes.
Ecce lupo miseras dilacerauit oues.
His docet orator Græcorum maximus, vrbis
Si Proceres abeant, mœnia posse capi:
Non equitatus enim valido nec robore miles,
Absque viris cautis, vlla trophæa refert.
Consilijs sic tuta fuit gens Attica, Regis
Dicitur armatos nec timuisse viros.



*Investitu ne glorie:is unquam, nec, die honoris
tui extollaris. Ecclesiastici. 11.*

Dic mihi cur plumis alienis corue superbis?

Dic adeo tumido cur aliena placent?

Agmine iam facto repetitum cursitat omnis

Grex auium, plumis vndique nudus eris.

Nemo sibi dotes furtiuas arroget vnquam.

Nec decus alterius surripuisse velit.

Quod sis esse velis, placeat tibi (suadeo cautus)

Sors tua, nunquam alius, si sapis, esse velis.




Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit.
Mathae. 26.

HArpia hæc hominis dentes in viscera mergit:
Et sua non nocuo membra cruore replet.
Non impune tulit scelus hoc, nec tempore longo
Exultat victrix: morte sed ipsa perit.
Namque sibi similem cum contemplatur in vnda
Extinctum, dolor hanc regna sub ima rapit.
Ergo homicida tibi commissum disce dolere
Crimen, aberrantem te metanœa coquat.



Homo cum in honore esset non intellexit & comparatus est iumentis insipientibus, & factus est similis illis. Psalm. 21.

Hæc varios poterat Caupona assumere vultus
Præstigijs instructa, suum namq; vngere corp⁹
Dum parat vnguento, plumas in corpore, pennas
Pro digitis habuit, gelidasque volauit in auras.
Protinus hoc cernens Apulæus, membra perungit
Vnguentis alijs, asini mutata figuram
Ora manusque trahunt, stabulumq; petiuit vt ipse
Esse rofas posset, quas Numina fronte gerebant.
Verbera passus abito subito, mox inde repulsus
Forte rofas alias reperit, dum vescitur illis,
Humanos iterum vultus, formamque recepit.
Hæc rofam ollis enim prudentia dicitur aptè,
Est Asinus quem non vigilans Sapiencia laudat.
Nam si principibus præclara Scientiâ desit:
Nonne coronatus caudex Asinusque putatur?



Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est. Sap. 13.

Gens olim Chaldœa sibi quæcunq̃ue vorantem
Flamman, non minimũ numẽ habere solet.
Hoc quidam cupiens illudere callidus ollam
Cepit, quam liquidis ipse replebat aquis.
Imponitq̃ue caput, claudique foramina cera,
Et vini speciem iussit habere viri.
Ignibus apposuit simulachrum, cera liquefcit,
Atque fluens visa est vnda necare Deum.
Deleturq̃ue prior sic posterioris vrinam
Posteriorq̃ue locum deinde prioris habet.
Sic tenebras (Paulo testante) trahuntur in imas,
Qui veros reputant ista caduca Deos.
Non tamen his simulachra modis Ecclesia seruat
Cana, sed indoctis exhibet ista libros.



*Et tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te,
& descibes in eo civitatem Ierusalem. Ezechiel. 4.*

PHidias pastor pingendi repperit artem,
Sed rudis imprimis nec bene culta fuit.
Nam dum pascit oves viridi fortassis in agro,
Visa est ante oculos vnus umbra suos.
Hanc notat, & fuluæ digitis impressit arenæ,
Ipsa recessit ovis, forma notata manet.
Post hunc, vt referunt, perfectè inuenit Apelles
Artem picturæ commodiore via.
Scilicet vt graphijs depingeret omnia pictor,
Cypria sic Coa stat dea facta manu.
Sic igitur vates pictoris ritè loquentis,
Et pictor muti nomina Vatis habet.
Hic etenim certo depingit cuncta colore,
Ille refert valida prælia gesta manu.



*Inspece & fac secundum exemplar quod tibi in monte
monstratum est. Exod. 25 d.*

Spectatũ properant Venerẽ cum prole venturos,
Quos dederat pictos ingeniosa manus.
Sutor adest, artisque suæ probat omnia dextrè
Quæ superant artem carpit & artis iners.
Audiit hoc perdoctus Apelles, desine dixit,
Limitibusque caue digrediare tuis.
Quam didicit quiuis illam sibi vendicat artem,
Non aliena pudens dente pro cace petat.



In manu artificum opera sudabuntur. Ecclesiast. 9. &

1
TAm pulchrè iuuenem Zeuxis depinxerat vuas,
Gestantem manibus cupidis vt morsibus illas,
Carpere tentarent volucres per sæpe rapaces,
Pharrhasiusque suas minui cum cerneret artes
Si pueri species ad viuum picta fuisset,
Non certe auderent aliquos decerpere fructus.
Sed trepidas adeo volucres inuaderet horror
Vt fugerent hominum potius commercia, dixit
Atque domi in muro Cortinam pinxerat, arte
Egregia, Zeuxis quam dum remouere putaret
Deceptus, muro dextram offendeat in ipso.
Doctus erat coruos Zeuxis, timidaque columbas
Ludere, Pharrhasius pictorem fallere clarum.

Ad Lectorem.

Quid sibi quæque velit bone lector imago libelli,
Forſitan à quoquam certior eſſe cupis.

Siſte gradum, res magna latet, non fabula tantum;
Sæpe leui ſubſunt ſeria multa iocæ.

Hic velut in ſpeculo Virtus vitiumque videntur:


Quod ſapiens fugiat quodque ſequatur habet.

De quo ne dubites, moralem respice ſenſum,

Quem ſubiuncta breui carmine ſcripta docent.

Quæ ſi declares tibi non ingrata fuiſſe,

Post modo plura lubens, & meliora dabo.







g. A-74,

U = T4

